

91  
Cuvier's *Electra*

1887

1911  
MAY 20 11 AM

MAY 11 11 AM

MAY 21 11 AM

MAY 11 11 AM

INDEX  
LECTIONVM

QVAE

AVSPICHS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A. D. XVI M. APRILIS AD D. XV M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXVII

HABEBVNTVR.

*J. Vahlen*

*De Empirica Electricitate*

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS

(G. VOGT).

1870

1871

1872

INDEX  
LECTIONVM

QVAE

AVSPICIS REGIS AVGVSTISSIMI

GVILELMI

IMPERATORIS GERMANICI

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA

FRIDERICA GVILELMA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A. D. XVI M. APRILIS AD D. XV M. AVGVSTI A. MDCCCLXXXVII

HABEVNTVR.

*J. Vahlen*  
*De Electricitate*

BEROLINI

FORMIS ACADEMICIS  
(G. VOGT).



VNIVERSITATIS LITTERARIAE  
FRIDERICAE GVILELMAE  
RECTOR ET SENATVS.

**I**n Euripidis *Electra* postquam rusticus Mycenaeus Electrae maritus προλογίζων more Euripideo et quae ante gesta sunt et qui nunc sit Electrae status exsecutus est, ipsa prodit servae instar in capite urnam gestans ante lucem ortam aquam ex propinquo flumine petitura. Itaque noctem appellat his versibus.

ὦ νῦξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρον τροφέ,  
55 ἐν ἧ τὸδ' ἄγγος τῷδ' ἐφεδρεῦον κάρᾳ  
φέρουσα πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι,  
οὐ δὴ τι χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη,  
ἀλλ' ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς  
γόους τ' ἀφίην αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί.  
60 ἢ γὰρ πανώλης Τυνδαρίς, μήτηρ ἐμή,  
ἐξέβαλέ μ' οἴκων χάριτα τιθεμένη πόσει·  
τεκοῦσα δ' ἄλλους παῖδας Αἰγίσθῳ πάρα  
πάρεργ' Ὀρέστην καμὲ ποιεῖται δόμων.

Versu 59 ἀφίην exaratum est in codice ex quo hanc fabulam ediderunt; quod quoniam ipsum nihili est, inde ut probabilem formam recuperarent, viri docti in diversas partes discesserunt, cum ἀφείην, alii ἀφίημ' a poeta scriptum fuisse coniicerent. Quorum hi qui ἀφίημ' Ioanne Iacobo Reiskio auctore fovent, reliquam orationem ita expediunt, ut versus duo 57 et 58 οὐ δὴ τι χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη ἀλλ' ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς interiectae sententiae loco segregent, aut fortiore remedio usi ut Nauckius eosdem versus tamquam insiticios deleant, utroque modo efficientes ut verba πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι (56) et γόους τ' ἀφίημ' αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί (59) inter se copulentur, quae sententia vetat pari iugo coniugari propterea quod alterum quid agat, alterum quid actura sit Electra designat. Qui alteram viam in-

gressi ἀφείην ab Aemilio Porto propositum poetae reddi iubent, vario interpretandi modo cavent in hac oratione πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι . . ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγ. Θεοῖς γόους τ' ἀφείην αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί ne optativi forma cum coniunctivo iuncta et ab eodem cum coniunctivo verbo suspensa legentem offendat; Adolphus autem Kirchhoffius, collega noster, cum Euripidis tragoediis iterum editis a. MDCCCLXVII item ἀφείην reciperet hos tres versus

57 οὐ δὴ τι χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη,  
ἀλλ' ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου Θεοῖς  
γόους τ' ἀφείην αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί

ab Euripidis oratione seclusos in imo margine adscripsit; qui versus quemadmodum ipsi integram exhibent sententiam, ita iis omissis quae restant in probabilem orationem coeunt. Qua in re quas potissimum rationes vir doctus secutus sit, quoniam non mera optativi insolentia ductus videtur, infra quaerendi locus erit. Interim tantum dicimus, quod huic Electrae ῥῆσει e decem versibus duo vel quod certe praestabilius erat tres versus emendandi causa surripiuntur, non satis tutum videri reputanti eiusdem Electrae ῥῆσιν quae proxime insequitur (67—76) itidem decem versibus concludi. Quod casu accidisse non facile credit qui intelligit Euripidem, ut erat ab artificiosae concinnitatis studio minime alienus, ita in hac tragoedia saepius orationes sermonis vicissitudine consociatas versuum numero exaequasse, velut 408—419 et 420—431; 487—502 et 508—523; 880—889 et 890—899; sed maxime conspicuum hoc genus est in orationibus quibus Clytaemnestra et Electra inter se digladiantur, quarum utraque quadragenarium numerum explet (1011—1050 et 1060—1099); et hoc memorabile aequabilitatis exemplum non fugit Henricum Weilium (ad v. 1098s.) inprimis harum rerum curiosum, qui similia pauca ex aliis tragoediis ad Hecubae v. 1236 adscripsit, verum fugit alios, nisi forte casui tribuerunt quod consilio partum videtur, qui ex altera utra harum oratione aliquot versibus sublatis hanc numerorum congruentiam sustulerunt. Sed de his orationibus quidquid iudicatur, quae suas quasdam difficultates habent, quas nunc non persequimur, nostro loco tantum damus aequato versuum numero, ut iis facilius calculum addituri simus, qui nulla parte dempta mutando versus ad probam orationem revocare aggressi sunt. Quod qui nuper assequi studuerunt, ex iis Weilius ad ἀφείην quod retinuit ut reliquam orationem accommodaret cum ita scripsit

Οὐ δὴ τι, χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη,  
ἀλλως ὕβριν δείξαιμ' ἂν Αἰγίσθου Θεοῖς  
γόους τ' ἀφείην αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί,

veremur ne magno molimine effecerit quod ut intelligi possit grammaticum requirat interpretem; quod vero Udalricus a Wilamowitz-Moellendorff in Hermae vol. xviii p. 232 proposuit, qui a Reiskii opinione orsus ἀφείημ' stabiliendi causa deleta τε particula hanc sententiam constituit

πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι  
οὐ δὴ τι χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη·  
ἀλλ' ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς  
γούους ἀφίημι αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί,

praestat illud quidem simplicitate sua, sed ut ne sic quidem ἀφίημι praesentis forma sensui loquentis plane pareat, illa autem ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγ. θεοῖς γούους ἀφίημι πατρί hoc modo vix satis apte inter se necti videantur.

Exposuimus doctorum sententias, atque ex hac opinionum varietate ut emergamus et nanciscamur quo pedem figere liceat, eam rationem inimus, ut ex iis quae agit Electra iudicium petamus de iis quae se acturam professa sit. Itaque ut ad paucos passus dramatis iter persequamur, Electra a marito qui illam ῥῆσιν excepit admonita ne se hac molestia curarum insuetam premat

ΑΥ. τί γὰρ τάδ', ὦ δύστην', ἐμὴν μοχθεῖς χάριν

65 πόνους ἔχουσα, πρόσθεν εὖ τετραμμένη,  
καὶ ταῦτ' ἐμοῦ λέγοντος οὐκ ἀφίστασαι;

rationes expromit quibus sibi fas esse edoceat partem laborum capere virumque sua opera adiuvare.

ΗΛ. ἐγὼ σ' ἴσον θεοῖσιν ἡγοῦμαι φίλον·

ἐν τοῖς ἐμοῖς γὰρ οὐκ ἐνύβριτας κακοῖς.

μεγάλη δὲ θνητοῖς μοῖρα συμφορᾶς κακῆς

70 ἰατρὸν εὐρεῖν, ὡς ἐγὼ σὲ λαμβάνω.

θεῖ δὴ με κάκελευστον εἰς ὅσον σθένω

μόχθου ἴπικουφίζουσαν, ὡς ῥᾶον φέρης,

συνεκκομίζειν σοὶ πόνους. ἄλλῃ δ' ἔχεις

τᾶξωθεν ἔργα· τὰν δόμοις δ' ἡμᾶς χρεῶν

75 ἐξευτρεπίζειν· εἰσιόντι δ' ἐργάτη

θύραθεν ἠδὲ τᾶνδον εὐρίσκειν καλῶς.

Dein digressis suo uterque officio ut fungeretur,

ΑΥ. εἴ τοι δοκεῖ σοι, στεῖχε· καὶ γὰρ οὐ πρόσω

πηγαὶ μελάθρων τῶνδ'. ἐγὼ δ' ἄμ' ἡμέρα

βοῦς εἰς ἀρούρας εἰσβαλὼν σπερῶ γύας.

80 ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα

βίον δύναιτ' ἂν ξυλλέγειν ἄνευ πόνου,

Orestes cum Pylade progreditur eique consilia capta patefacit, huc se clam ad fines terrae Argivae venisse ut cum Electra sorore, quam fando audiverit in matrimonium datam circa hunc locum degere, societate inita ad ulciscendam patris caedem pergat. Qui dum exspectant si forte hora matutina agricola vel ancilla praetereat, ex qua Electrae domicilium sciscitari possint, reducem ab aquando Electram famulae speciem prae se ferentem conspiciantur:

- OP. ....  
 νῦν οὖν, ἕως γὰρ λευκὸν ὄμμ' ἀναίρεται,  
 ἔξω τρίβου τοῦδ' ἴχνος ἀλλαξώμεθα.  
 ἦ γὰρ τις ἀροτῆρ ἦ τις οἰκέτις γυνή  
 105 φανήσεται νῦν, ἦντιν' ἱστορήσομεν,  
 εἰ τούσδε ναίει σύγγονος τόπους ἐμή·  
 ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τήνδε προσπόλων τινα  
 πηγαῖον ἄχθος ἐν κεκαρμένῳ κάρῃ  
 φέρουσαν, ἐζώμεσθα κάκλυθώμεθα  
 110 δούλης γυναικός, ἦν τι δεξώμεσθ' ἔπος  
 ἐφ' οἷσι, Πυλάδῃ, τήνδ' ἀφίγμεθα χθόνα.

Electra hydriam aqua repletam in capite gerens dum domum redire properat inter eundem canit a condicione sua argumento petito.

- Σύντειν', ὦρα, ποδὸς ὀρμάν·  
 ὦ ἔμβα ἔμβα κατακλαίουσα.  
 ἰὼ μοί μοι.  
 115 ἐγενόμαν Ἀγαμέμνονος  
 κούρα καί μ' ἔτεκε Κλυταιμνήστρα,  
 στυγνὰ Τυνδαρέου κόρα,  
 κικλήσκουσι δέ μ' ἀθλίαν  
 Ἥλέκτραν πολιῆται.  
 120 φεῦ φεῦ τῶν σχετλίων πόνων  
 καὶ στυγεράς ζόας.  
 ὦ πάτερ, σὺ δ' ἐν Ἄϊδα δὴ  
 κεῖσαι, σᾶς ἀλόχου σφαγεῖς  
 Αἰγίσθου τ', Ἀγάμεμνον.

Quae in his versibus non recte scripta esse antistrophicorum ratio indicium facit, veluti v. 116, nec certo restitui possunt et a cogitationum tenore seiuncta sunt. Nos autem id agimus hac disputatione, non ut metrorum mensuram emendandi cura temperemus, sed ut sententiarum modos numerosque sic ut possumus persequamur et explanemus. Itaque haec quae de genere suo dicit Electra v. 115sq. non sane in vim vulgaris indicii quod faciat de se accipimus neque vero Wilamowitzio concedimus poeta volente inania esse, sed omnia in unum complexi ita mentem Electrae interpretamur, ut originis nobilitatem extollat, quo magis patefiat quam illustri de vita in quantam miseriam deiecta sit obitu patris nefario scelere absumpti. Quo modo cum auctores calamitatis odio suo dignos significet, tum deplorans ut saepe has male decentes tam inclutum ortum aerumnas prodit eam qua maxime ducitur fastu mixtam indignationem.

Ad eandem se lamentationem cohortata

125 Ἴθι τὸν αὐτὸν ἔγειρε γόνον,  
ἄναγε πολύδακρυον ἀδονάν,

ab initio cantum repetit fratrisque Orestae calamitatem cum ipsius iniuria coniunctam luget, quem ardentissime cupit redire caedis paternae vindicem, se vero ut odiosa vita solvat.

Σύντειν', ὦρα, ποδὸς ὄρμάν·  
ὦ ἔμβα ἔμβα κατακλαίουσα.  
ἰὼ μοί μοι.

130 τίνα πόλιν, τίνα δ' οἶκον, ὦ  
τλάμον σύγγονε, λατρεύεις  
οἰκτρὰν ἐν θαλάμοις λιπῶν  
πατρώοις ἐπὶ συμφοραῖς  
ἀλγίσταισιν ἀδελφεάν;

135 ἔλθοις τῶνδε πόνων ἐμοὶ  
τᾶ μελέα λυτήρ,  
ὦ Ζεῦ Ζεῦ, πατρί θ' αἱμάτων  
ἐχθίστων ἐπίκουρος, Ἄρ-  
γει κέλσας πόδ' ἀλάταν.

His duabus partibus carminis a properante inter vias cantati pulchre inter se continentibus Aegisthi maxime superbam contumeliam incusari intelligimus, qua sci- mus utrumque perpetratum esse, Electra ut hos labores quos identidem exsecra- tur exanclare indigna, frater autem eius pulsus patria mendicus vagari cogatur in aliena terra. Ab his vero quae adhuc recitavit argumento carminis non minus quam condicione canentis secreta sunt quae insequuntur. Quippe festinatione su- bito omissa subsistit urna etiam de capite deposita ut patri lamentationem matu- tinam tollat.

140 Θεὸς τόδε τεῦχος ἐμῆς ἀπὸ κρατὸς ἐ-  
λοῦσ', ἵνα πατρὶ γούους νυχίους  
ἐπορθοβοάσω,  
ἰαχὰν αἰοιδὰν μέλος Ἀίδα.

In quibus versibus alia quae interpretis curam poscunt omittimus, sed quod dicit Electra θεὸς τ. τ. ἐμῆς ἀπὸ κρατὸς ἐλ. non sine causa doctis moras creavit. Quorum Weilius cum Dobraeo θεῶ τ. τ. ἐμῆς ἀπὸ κρατὸς ἐλοῦσα positum fuisse coniecit, eo usu loquendi quo φέρ' ἴδω et similia dici solent, ut semet ipsa Electra his verbis ad- moneat; Wilamowitzio autem, qui iam illa quae dicit Electra v. 56s. πηγὰς ποτα- μίας μετέρχομαι οὐ δὴ τι χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη paratam ancillae opem indicare existimavit, nunc Electra ancillam comitem appellare visa est eamque iubere ut urnam sibi de capite sumat. At vero de comite Electrae nos aegre concedimus, quae si non sola erat solamque esse poeta voluit, species ipsa ancillari habitu in- cedentis aliqua ex parte corrumpi videtur; nec plus quam Electram, quam ipsam

esse famulam suspicantur, Orestes et Pylades conspexerunt (v. 107sq.); quodque se negat Electra necessitate coactam servili opere fungi, id quo iure neget maritus eius dehortando declarat (v. 64sqq.). Accedit quod se hoc carmine Electra identidem alloquitur, σύντεινε ποδὸς ὀρμάν· ὦ ἔμβα ἔμβα (v. 112sq. et 127sq.); ἴθι τὸν αὐτὸν ἔγειρε γόον, ἄναγε πολύδακρυν ἀδονάν (v. 125sq.); ἔξ· δρύπτε κάρα (v. 150); ut ne illum quidem imperativum mutare aut in alienam appellationem detorquere liceat. Sed quod cum θεῖς coniungit non quod debebat σῆς verum ex coepta oratione deflectens ἐμῆς ἀπὸ κρατὸς ἐλ., id qui ferri noluerit, pronomini manum adhibeat oportet. At hoc quidquid est artificii non plane abhorret ab hoc poeta, qui vel illa scripsit in Hecuba

736 δύστην', ἐμαυτὴν γὰρ λέγω λέγουσα σέ,  
Ἐκάβη, τί δράσω; πότερα προσπέσω γόνυ  
Ἄγαμέμνονος τοῦδ' ἢ φέρω σιγῇ κακά;

quae argutiae notum est quanto opere cum veteres tum recentioris aetatis interpretes ne Hermanno quidem excepto exercuerint. Et saepe poetae in hoc genere nullo paene intervallo orationem variant, velut Pindarus Nem. 4, 69 ἀπότρεπε αὐτίς Εὐρώπην ποτὶ χέρσον ἔντεα ναός· ἄπορα γὰρ λόγον Αἰακοῦ παίδων τὸν ἅπαντά μοι διελθεῖν; et inverso ordine idem Nem. 10, 19 βραχὺ μοι στόμα πάντ' ἀναγήσασθ', ὅσων Ἀργεῖον ἔχει τέμενος μοῖραν ἐσλῶν . . ἀλλ' ὅμως εὐχορδὸν ἔγειρε λύραν. Eodemque modo Sophocles initio Oedipi Colonei

τίς τὸν πλανήτην Οἰδίπουν κατ' ἡμέραν  
τὴν νῦν σπανιστοῖς δέξεται δωρήμασιν,  
5 σμικρὸν μὲν ἐξαιτοῦντα, τοῦ σμικροῦ δ' ἔτι  
μείον φέροντα, καὶ τόδ' ἐξαρκῶν ἐμοί.

neque enim adiuvant orationem qui haec postrema καὶ τόδ' ἐξαρκῶν ἐμοί a superioribus seiuncta in peculiaris vim sententiae accipi volunt. Ut dubites quam necessario in Euripidis Helen. 954

ἀλλ', εἰ μὲν ἄνδρα σοι δοκεῖ σῶσαι ξένον  
ζητοῦντά γ' ὀρθῶς ἀπολαβεῖν δάμαρτ' ἐμήν,  
ἀπόδος τε καὶ πρὸς σῶσον,

ζητοῦντά μ' de Reiskii coniectura reponant. Sed ut taceamus alia quae satis multa ex variis poetis afferri possunt, in hac μονωδία ipsa quae se proxime excipiunt ὦ ἔμβα ἔμβα. ἰὼ μοί μοι, et rursus in contrariam partem γόους οἷς τὸ κατ' ἡμαρ διέπομαι . . ἔξ· δρύπτε κάρα satis esse argumenti videntur, ne illam quidem inconstantiam orationis qua se compellat Electra θεῖς τότε τεῦχος ἐμῆς ἀπὸ κρατὸς ἐλοῦσα corrigendo aut interpretando Euripidi esse adimendam.

Cantus ipse quo se patrem lugere velle Electra praedixit, si sensuum tenorem respicias, tribus partibus explicatur; quarum prima hos versus complectitur

πάτερ, σοὶ κατὰ γὰς ἐνέπω γόους,  
145 οἷς αἰεὶ τὸ κατ' ἡμαρ

διέπομαι, κατὰ μὲν φίλαν  
 ὄνυχι τεμνομένα δέραν,  
 χέρα τε κρᾶτ' ἐπὶ κούριμον  
 τιθεμένα θανάτῳ σῶ.

150 ἔ ἔ, δρύπτε κάρα.

nam haec extrema ἔ ἔ, δρύπτε κάρα superioribus addi potius quam insequentibus praemitti sententia poscere videtur. Alterius autem partis oratio per se integra est, quae simile persequitur quo se cycno confert Electra patrem fraude necatum ad ripam fluminis deploranti.

οἶα δέ τις κύκνος ἀχέτας  
 ποταμίους παρὰ χεύμασιν  
 πατέρα φίλτατον καλεῖ  
 ὀλόμενον δολίοις βρόχων  
 155 ἔρκεσιν, ὡς σὲ τὸν ἄθλιον  
 πατέρ' ἐγὼ κατακλαίομαι,  
 λουτρὰ πανύσταθ' ὑδρανάμενον χροῖ,  
 κοίτα ἐν οἰκτροτάτῃ θανάτου.

Quam comparationem qui cum versibus Electrae Sophocleae contenderit

ἀλλ' ἐμέ γ' ἄ στονέεσσ' ἄραρεν φρένας  
 ἂ Ἰτυν, αἰὲν Ἰτυν ὀλοφύρεται  
 ὄρνις ἀτυζομένα, Διὸς ἄγγελος.  
 150 ἰὼ παντλάμων Νιόβα, σὲ δ' ἔγωγε νέμω θεόν,  
 ἄτ' ἐν τάφῳ πετραίῳ  
 αἰεὶ δακρύεις,

paene adduci videatur Euripidem carpere velle Sophoclem quod Electram patris mortem lamentantem cum Philomela aut Nioba filiorum interitum deflentibus (cf. v. 107) composuerit: in quo genere Euripidis ratio, ut saepe, prudentior, Sophoclis ποιητικωτέρα nobis quidem ac venustior videtur. Sed hoc in transcurso. Denique pars tertia nefaria ad interimendum Agamemnonem uxoris cum moechno consociata consilia insectatur.

ἰὼ μοί μοι  
 160 πικρᾶς μὲν πελέκεως τομᾶς σαῶς, πάτερ,  
 πικρᾶς δ' ἐκ Τροίας ὁδοῦ βουλᾶς.  
 οὐ μίτραις σε γυνή  
 δέξατ' οὐδ' ἐπὶ στεφάνοις,  
 ξίφεσι δ' ἀμφιτόμοις λυγρὰν  
 165 Αἰγίσθου λώβαν θεμένα  
 δόλιον ἔσχεν ἀκοίταν.

In his quoque versibus illa quae dicit πικρᾶς μὲν πελέκεως ... πικρᾶς δ' ἐκ Τροίας ... non nobis solis in memoriam revocant versus Sophoclis de Electra 193

οἰκτρὰ μὲν νόστοις αὐδά,  
οἰκτρὰ δ' ἐν κοίταις πατρώαις κτλ.

Exposita bipartita huius *μονωδίας* ratione iam paulo certius iudicare licebit de versibus quibus hanc disputandi materiam acceptam ferimus.

55 τὸδ' ἄγγος τῷδ' ἐφεδρεῦον κάρᾳ  
φέρουσα πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι,  
οὐ δὴ τι χρείας εἰς τοσσόνδ' ἀφιγμένη  
ἀλλ' ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς  
γόους τ' ἀφείην αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί.

Quod enim Electra profitetur se ante lucem urna capiti imposita aequatum exire non tam necessitate adactam sed ut Aegisthi contumeliam diis palam faciat et patri lamentationem mittere possit in aethera, hoc duplex consilium duplici exsecuta esse *μονωδία* videtur; *γόους* certe patri quos voluit verissime in altera carminis parte sustulit, in qua se hoc agere expresse dicit (v. 140sq.); alterum autem, quod se instituere praedixit verbis ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς, etsi ea re sola efficitur quod cum hoc habitu in publicum progreditur, fit enim ita ut quae domi abscondi debebat calamitas indecenter in lucem protrahatur, tamen primae *μονωδίας* hanc vim esse vidimus ut Electra quasi interpretem huius commiserandi in regis filia habitus agat eamque quam diis ostendit simul verbis enarret Aegisthi contumeliam, quae suam fratrisque miseriam post peremptum patrem designaverit. Quae si recte intelligimus, duplex *μονωδίας* natura fidem facit, illa quae dicit Electra ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς γόους τ' ἀφείην αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί duo esse et apte copulatione iungi neque nobis licere ea discerpere aut unum ex duobus efficere iis modis quos a criticis initos esse supra scripsimus. Itaque redit controversia ad unam optativi formam ἀφείην cum coniunctivo δείξωμεν in comparibus enuntiatis coniunctam, sine qua credere vix possis simplicem explicandi viam a doctis derelictam esse; et ceteris quidem quae moliti sunt praestaret reponere quam olim suasit Schaeferus formam coniunctivi ἀφῶμεν; qua recepta nihil certe aut non multum de sententiae vi ac ratione detraheretur. Sed nec verisimilis opinatio est qua ἀφῶμεν putatur librarii errore abiisse in ἀφίην h. e. ἀφείην, nec nimis venusta est ista coniunctivorum geminatio δείξωμεν — ἀφῶμεν, ut coniectura invectam patienter feras. Quo magis adnitendum est ut optativum ipsum si fieri possit a suspitione falsi vindicemus. In eo vero, ut mittamus eos qui nescio quam optandi significationem inesse opinantur, ne Reisigius quidem aut Hermannus, quamvis proxime accessisse ad verum videantur, nobis omni ex parte satisfaciunt. Et Reisigius quidem, cuius ampla est disputatio in commentationibus criticis de Sophoclis Oedipo Coloneo p. 165sq., cum in finali genere orationis optativum scribat 'consilia significare quae ex cogitatione pendeant aliena', tamen negat hoc in versum Electrae cadere, quem corrigere correctione minime probabili maluit quam ex illa ratione interpretari. Hermannus autem (ad Sophoclis Electrae v. 57) recte ille quidem iudicavit.

ab optativo finali 'dubitationis de eventu consilii significationem' abesse non posse, sed idem Electrae dubitationem ex praesentia mariti ducendam ratus quae remorari exsequendum consilium potuerit, a vera sententia aberravit. Nos poetam ipsum sequimur ducem optimum ad huius vim optativi recte perspiciendam. Qui cum Electram inducat primum properare et inter eundem canere, dein mutato consilio, quia nihil prohiberet, subsistere paulisper positaque hydria carmen lugubre in patris honorem fundere, rursus ex iis quae agit Electra intelligere licet quae se mente haec agere velle professa sit. Cum enim duo facere instituat, quorum alterum progressa in publicum faciebat, alterum scire ante non poterat num facere sibi liceret, ea de causa dispari dicendi modo usa haec duo consilia effert ut ita dicat se exire aqutum non cogente necessitate sed ut Aegisthi contumeliam palam faciat diis et ut si fieri possit patri lamentationes matutinas reddat, quas nec domi reddere sic ut cupiebat nec foris nisi nulla re impediante poterat. Quam vim condicionalem optativi in hoc genere enuntiatorum cum alibi agnoscere videmur tum apud Sophoclem in Electra, ubi cum haec scripta sint in codice Laurentiano

καί νιν πυρᾶ κέαντες εὐθὺς ἐν βραχεῖ  
χαλκῷ μέγιστον σῶμα δειλαίας σποδοῦ  
φέρουσιν ἄνδρες Φωκέων τεταγμένοι

760 ὅπως πατρώας τύμβον ἐκλάχοι χθονός,

falluntur qui sententiam finalem ὅπως .. ἐκλάχοι a participio τεταγμένοι regi volunt, quod fieri non potest quia ἄνδρες Φωκέων τεταγμένοι unam notionem efficiunt velut οἱ τεταγμένοι βραβῆς v. 709; prudentius illi qui quia ὅπως non potest nisi cum φέρουσιν coniungi coniunctivi formam ἐκλάχη ex apographis recipiendam ducunt. Sed hoc quod agunt ἄνδρες Φωκέων τεταγμένοι ut peragatur non ipsorum in consilio sed in aliorum mente et arbitrio positum est, ob eamque causam subindicata conditione viri Phocenses ad hoc missi ossa ferre dicuntur, ut si dominis libeat in patria terra componi possint. Nec dissimiliter in eadem Electra qui legitur optativus v. 57 expedire liceat.

Sed in Euripidis Electra si forte nobis contigerit ut optativum disputando tueremur, tamen restant alia et fortasse graviora quae retinere interpretem et modo sopitam dubitationem suscitare possint. Etenim quae tribus istis versibus (57—59) Electra dicit se necessitate nulla constrictam sed aliis motam consiliis ad hauriendam aquam mane exire cum urna, ea nec satis concinunt cum iis quae marito dehortanti morata oratione respondet v. 71sq. (cf. p. 5) et ab illis discedunt quae fratri narrat, quem fratrem esse nondum cognovit, cum complexa omnia quae cantando aut ultro aut a choro excitata ante de sua calamitate exposuit, hanc quoque partem aerumnosae vitae numerat, quod αὐτὴ μὲν ἐκμοχθοῦσα κερκίσιν πέπλους, αὐτὴ δὲ πηγὰς ποταμίους φορουμένη (309) vivere cogatur. Denique quem ducis filia ad serviles operas necessaria sorte deiecta movere possit dolorem ipsa

minuit affirmando necessitatem ab his laboribus abesse. Huius modi argumentis fortasse Kirchhoffius adductus est ut hos tres versus ab Euripidis tragoedia secludi mallet, cum praesertim his eiectis ea quae sequuntur commodius ad superiora adiiciantur.

ὦ νύξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρον τροφέ,  
 ἐν ἧ τὸδ' ἄγγος τῷδ' ἐφεδρεῦον κάρᾳ  
 56 φέρουσα πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι.  
 60 ἢ γὰρ πανώλης Τυνδαρίς, μήτηρ ἐμή,  
 ἐξέβαλέ μ' οἴκων κτλ.

Quod qui probant, iis licet de optativo securis esse, quem in proscriptis versibus ne Kirchhoffius quidem sprevit, ut qui nescio cui interpolatori facilius condonetur quam poetae Attico. Verum nobis ne his quidem rationibus persuadetur aut spurios esse tres illos versus aut aliqua parte librariorum vitio depravatos. Discrimen enim quod intercedere diximus inter ea quae hic et illic Electra de se suisque aerumnis dicit, ex suae condicionis aut personarum quibuscum agat diversitate ortum videtur. Quod vero ipsa declarat, non esse eam necessitatem, quae videatur, qua coacta ancillae vicem opus faciat, quid miri in ea quae coniugium cum Mycenaeo rustico initum non esse verum coniugium seque intactam virginem in mariti tugurio manere ipsa identidem fateatur. Nimirum hoc proprium est huius tragoediae, ut quae finxerit poeta eadem ultro corrumpat et quibus deplorandam efficere Electram potuerit, iisdem eam reddiderit contemptam. Quae cum ita sint, noli dubitare quin Euripides revera hanc suam Electram ita loquentem induxerit ut fides codicis testatur.

ὦ νύξ μέλαινα, χρυσέων ἄστρον τροφέ,  
 55 ἐν ἧ τὸδ' ἄγγος τῷδ' ἐφεδρεῦον κάρᾳ  
 φέρουσα πηγὰς ποταμίας μετέρχομαι,  
 οὐ δὴ τι χρείας εἰς τοσόνδ' ἀφιγμένη,  
 ἀλλ' ὡς ὕβριν δείξωμεν Αἰγίσθου θεοῖς  
 γόους τ' ἀφείην αἰθέρ' εἰς μέγαν πατρί.  
 60 ἢ γὰρ πανώλης Τυνδαρίς, μήτηρ ἐμή,  
 ἐξέβαλέ μ' οἴκων χάριτα τιθεμένη πόσει κτλ.

Nam quod a versu 60 ἢ γὰρ πανώλης interiectis istis tribus 57—59 paulo duriore circuitu summa superiorum sententia repetitur et confirmatur, ne id quidem ab huius poetae consuetudine alienum est, qui, ne longe abeamus, illa posuit in prologo

ἡμῖν δὲ δὴ δίδωσιν Ἥλέκτραν ἔχειν  
 35 δάμαρτα, πατέρων μὲν Μυκηναίων ἀπο  
 γεγῶσιν· οὐ δὴ τοῦτό γ' ἐξελέγχομαι·  
 λαμπροὶ γὰρ εἰς γένος γε, χρημάτων γε μὴν  
 πένητες, ἔνθεν ἠύγεται ἀπόλλυται·

ὡς ἀσθενεῖ δούς ἀσθενῆ λάβοι φόβον.  
 40 εἰ γὰρ νιν ἔσχευ ἀξίωμ' ἔχων ἀνήρ,  
 εὐδοντ' ἂν ἐξήγειρε τὸν Ἀγαμέμνονος  
 φόνον δίκη τ' ἂν ἦλθεν Αἰγίσθω τότε.

in quibus facile sentitur versus 39 quo nomine severius iudicanti displicere possit.

Scr. m. Decembri a. MDCCCLXXXVI.

